

rose mihi que ut faves favere pergas. Dabam Londini apud Anglos. d. 4. Martii A° 1766.

P. S. . .¹⁾ Angliam relinquere non cogito antequam mense Julii v. Augusti. Tum per Hollandiam Galliam adire mensibus Dec. Januarii & Febr. Parisiis hybernare. Inde per Galliam Marsiglias peto. Quamprimum salus mihi redierit, cum D° Pennant, Londini degente, Provinciam Wallis adeo. Confusum istud chaos Historia Fossilium Di. Da Costa jam continuabitur novo Volumine; sed quod optimum, figuras addit Concharum Petrefactarum, quæ antea non sunt delineatae. Vale & Vige Vir Generose! Me doceas rogo, quando exspectabimus Systematis editionem novam.

Prodiit jam Tomus 4^{us} Thesauri Sebæ continens insecta etc. Perdita sunt omnia adeo ut descriptiones ex figuris sint fabricatae.

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstierne Medecin premier du Roi, Professeur en Med. & Botanic Membre des Societes d'Upsal, Stokholm, Petersborg, Paris, London &c. &c. à Upsala en Suede

(47) Perillustri & Amplissimo Viro

Dno. Carolo de Linné

Equiti Aurato

S.

M. Th. Brünnichius.

Ultimas Tuas accepi Londini, responsum dedi ex Derbyshire iterumque scripsi è Transylvania, jam crederem ambas has literas esse perditas, maxime cum video nova ista animalia et quæ de auri mineris Tibi communicavi, in Systematis editione nova non esse allata, ideoque de novo Tibi scribere cogitavi. Anno proxime præterlapso toto in Hungariæ Transylvaniæ et Banati fodinis fui occupatissimus, ante

¹⁾ Her folger en halv Folioside med Beskrivelser af et Par Dyrearter fra de hollandske Museer.